

51, ubi, eadem verba tractans, inter alia inquit: *Quamvis Dei secundum naturam sit Filius, Deum tamen suum nuncupavit; ut quem admodum nos ad supernaturalem dignitatem per ipsum ascendimus, sic et ipse, quoniam homo factus est, Deum nostrum in Deum suum habeat, licet vere ac secundum naturam Filius sit. Non ergo conturberis cum Patrem Deum nominet suum, sed diligenter considera, Patrem quidem suum esse natura, Deum autem nostrum ut creatorem et dominum; sed, quod sibi natura inest nobis largitur, ut communiter Patrem appellemus, et quod nostrum est, quoniam naturam nostram assumpsit, sibi rursus accommodat, cum Deum nominet suum, utique ut creatorem et dominum suum, quatenus homo est; hoc enim titulo dixerat Cyrillus appellari Deum nostrum, eumque titulum Christum ut hominem sibi accommodasse seu usurpasse. Neque ab hac expositione discrepat Concilium Alexand., in epist. ad Nestor., quæ est 10 inter epistolas Cyrilli, et recepta in Concilio Ephesino, et habetur tom. 1 illius, c. 14, ubi ait, Verbum ut Deum, Deum Patrem suum appellare, hominem tamen factum esse, proindeque secundum legem humanæ naturæ congruentem, Deo subjectum esse; et infra: *Ut homo igitur, et ad exinanitionis conditionem quod spectat, æque ac nos, se subditum fatetur.* Notandum sane est verbum illud, *æque ac nos, etc.*, nam imprimis docet Concilium, hæc professione qua confitemur Deum nostrum, profiteri nos esse subjectos Deo, et consequenter ipsum esse nobis superiorem et dominum; et hoc ipsum professum esse Christum ut hominem, appellando Deum suum, et sub ea ratione esse æque Deo subjectum; ergo et Deum æque esse dominum ejus; et in eumdem fere modum tractat hunc locum late Hilar., lib. 11 de Trinit., aliquantulum a principio, cujus verba statim referam.*

11. Ratione denique hoc declaratur, quia, quamvis verum sit nomina *Dei* et *Dominii* in rigore esse diversa, et illud esse proprie nomen naturæ, hoc potestatis, tamen ita sunt conjuncta et æqualia (ut sic dicam), quatenus in Deum conveniunt, ut æque late pateant, si sub aliquo respectu ad creaturas respiciant, vel potius a creaturis respiciantur; ergo, hoc ipso quod Deus dicitur alicujus Deus, necesse est ut sit etiam illius dominus, et e contrario; ergo, hoc ipso quod Christus ut homo vocat Deum suum, virtute vocat dominum suum. Quis enim sibi persuadeat Deum alicujus esse

Deum, cujus non sit dominus? ac si divina dominatio non tam late pateat, quantum quælibet alia habitudo, sub qua possit Deus dici alicujus Deus. Etenim, cum Deus per sese et absolute sit Deus, quidnam addi potest, cum dicitur esse alicujus Deus, nisi vel habitudo ultimi finis, vel primi principii, vel alia similis? Ad hunc enim modum dixisse videtur Jacob, Genes. 28: *Si fuerit Dominus Deus mecum, etc., erit mihi Dominus in Deum;* id est, illum venerabor et colam ut supremum numen, in eo fidam, ei gratias referam, tanquam supremo auctori honorum omnium; nullus autem ita recognoscit Deum suum, quin etiam recognoscat illum dominum suum, et se servum ejus. Quia non potest Deus non esse auctor illius cujus est ultimus finis, nec potest non esse dominus ejus cujus est auctor. Hinc Hilarius, d. lib. 11 de Trinit., col. 8, a principio, ex hoc loco Joannis quem tractamus colligit, per assumptionem carnis factum esse ut is, qui erat Pater Filii, inceperit esse Deus Christi: *Dum qui in forma Dei erat, repertus est in forma servi; servus enim non erat, cum esset secundum spiritum Filius Dei, et secundum commune judicium, ubi non est servus, neque dominus est. Deus quidem et Pater natiuitatis est Unigeniti Dei, sed ad id quod servus est, non possumus nisi tunc dominum deputare, cum servus est. Quia cum ante per naturam non esset servus, et postea secundum naturam esse quod non erat cepit, non alia dominatus causa intelligenda est, quam quæ catitit servitutis; tunc habens ex naturæ dispensatione dominum, cum præbuit ex hominis assumptione se servum. Manens igitur in forma servi, qui manebat ante in Dei forma, homo Christus Jesus locutus est: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* In quo discursu evidenter supponit Hilarius, Christum, appellando Deum suum, eum, ut hominem, dominum recognovisse; et in hoc solum incumbit, ut ostendat dominatum illum non convenire Patri ab æterno in Filium quem genuit, sed in tempore in Christum servum factum, ratione humanitatis assumptæ; atque hoc modo respondet Arianis, qui hæc verba ad Christi divinitatem referebant. Unde ita concludit: *Si igitur hæc servus et ad servos locutus est, quomodo professio ista non servi sit, et ad eam magis naturam, quæ non in natura servi sit, transferetur, cum ei, qui in forma Dei manens formam servi assumpsit, quasi servo ad servos communitio, non nisi ex eo tantum possit esse quod servus est?*

*Pater igitur sibi ita ut hominibus Pater est, et Deus sibi ita ut servus Deus est. Et cum hæc omnia ad homines servos homo in servi forma Jesus Christus loquatur, non ambigitur quin Pater sibi ut cæteris sit ex ea parte qua homo est, et Deus sibi ut cunctis sit ex ea natura, qua servus est.* Quæ ultima verba nimium fortasse probare videbuntur, propter id quod insinuat de paternitate; sed non oportet intelligi secundum omnimodam æqualitatem et specificam rationem, sed secundum proportionem et rationem communem, ut infra, quæst. 23, latius explicabo.

12. Quod si hæc, quæ diximus de interpretatione horum verborum Christi, satis fundata sunt, ex eis ulterius colligere licet, Christum ut hominem in morte sua non solum Deum ut Patrem, sed etiam ut dominum invocasse, illis nimirum verbis: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ostensum est enim perinde esse confiteri aut invocare Deum suum, quod dominum suum. Non ignoro divinum nomen, *Eli*, quo ibi usus est David, Psal. 21, cujus verba Christus usurpavit, juxta proprietatem hebraicam, sumptum esse ex attributo fortitudinis divinæ; ut idem fuerit Christo dicere, *Eli, Eli*, ac si diceret, *Fortis meus, Fortis meus*, seu, *Fortitudo mea*. Hoc tamen nihil obstat; quin potius deservire potest ad declarandam rem de qua tractamus; nam, licet nomina divina ex diversis attributis sint desumpta, ut sub ea ratione nominetur vel invocetur a nobis, quæ pro negotii vel occasionis opportunitate maxime videtur accommodata, ut Christus in prædictis verbis usus est nomine fortitudinis, quia pro humanitatis imbecillitate, ea tunc maxime indigere videbatur, nihilominus tamen per hujusmodi confessionem vel invocationem recognoscitur Deus ab homine, ut supremum principium a quo pendet, et cujus est dare auxilium et fortitudinem, et cætera bona; hoc autem idem est quod recognoscere Deum ut supremum dominum, etiam si non invocetur nomine a dominio sumpto, vel dominium formaliter significante; ergo perinde fuit Christo dicere: *Eli, Eli*, ac si diceret: *Domine, fortitudo mea, esto mihi in Deum protectorem, quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu*, Psal. 17 et 30.

13. Tandem adjungere hic possumus verba illa, quæ Christus dæmoni tentanti respondit, Math. 4: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*; et illud: *Non tentabis Dominum Deum tuum*; quanquam enim hæc gene-

ratim de omnibus scripta sint, Deut. 6, tamen a Christo sunt usurpata, ut ad se etiam pertinentia; ergo in illis confessus est non tantum Deum, sed etiam dominum suum. Nec dici potest Christum illa verba attulisse, quæ de puris hominibus dicta sunt, quia dæmon nihil amplius de illo quam de puro homine sentiebat. Nam, ut Hieronymus ibi ait, *falsas de Scripturis diaboli sagittas, veris Scripturarum frangit clypeis*. Non ergo attulit ibi Christus testimonia Scripturæ, quæ secundum falsam tantum dæmonis existimationem, sed vere ac proprie ipsum comprehenderent. Unde recte ibi Jansenius, cap. 14 Concord.: *Scripturam (inquit) male citatam, alia Scriptura recte adducta, seu clavum clavo retudit*. Et quamvis nonnulli Patres, ut Hilarius et Hieronymus, dicant Christum his verbis se indicasse dominum ac Deum, quem dæmon adorare potius quam tentare debuisset, tamen planus et literalis sensus est, Christum repulisse tentationem, ostendentem ex Scriptura, ea quæ dæmon petebat, contra divina esse præcepta, *quod a quovis pio homine responderi poterat*, ut Jansenius ait. Denique, ex re ipsa quæ his verbis continetur, potest sumi non inefficax argumentum; nam certum est Christum ut hominem debuisse tribuere Deo illud genus adorationis et cultus, quod verbis illis omnibus præscribitur: *Dominum Deum tuum adorabis*; ille autem cultus non tribuitur tantum Deo ut Deo, sed ut domino, ut verba ipsa præ se ferunt; imo in recognitione supremi ac divini domini hic divinus cultus magna ex parte consistit; ergo Christus ut homo Deum ut dominum confitetur et adoratur.

14. *Epiphonema*. — Ex his ergo omnibus videtur hæc Christi servitus ex Novo Testamento sufficienter probari, et non sine fundamento dixisse Eliam Cretensem, in scholiis ad Greg. Naz., orat. 1, versus finem, circa illa verba: *Pacis, justitiæ, sanctificationis, redemptionis, hominis servi*, dixisse (inquam): *Quod autem servus etiam et homo factus sit, totum Evangelii et apostolicarum epistolarum volumen plenum est*, ubi ipse adducit testimonium aliud in hac materia vulgare, ad Philip. 2: *Formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, etc.*, ubi per formam servi sine dubio intelligit Paulus naturam humanam, ut in superioribus a nobis explicatum est. Sed nihilominus hic locus aliquibus non videtur convincere, quia ex eo solum habetur, Christum assumpsisse formam quæ de se est ser-

vilis conditionis, non tamen quod constituerit Christum servum; quia potuit unione impediri. Sed imprimis, si infra ostenderimus unionem non potuisse hoc impedire, neque excludere ab humanitate naturalem conditionem servitutis, constabit etiam hoc Pauli testimonium esse satis efficax. Et deinde Paulus non solum ait assumpsisse Christum, formam servilem, sed formam servi, id est, qua servus ipse constitutus est, sicut dicitur assumpsisse formam hominis, id est, qua homo factus est, ut recte ibi intellexit Adamus, cum cæteris expositoribus.

15. *Tertium ex Patribus fundamentum.* — Tertio, principaliter probatur hæc opinio ex sanctis Patribus. Primus sit Cyrillus, quem jam adduximus in lib. ad Evoptium, in defensione sexti anathematismi, et in epist. 10, cum Concil. Alexand. suscepta in Ephesino; et præterea lib. 12 Thesauri, cap. 15, circa finem: *Servi* (inquit) *Dei nos sumus secundum naturam, ipse dominus quidem secundum naturam, quia Deus, sed servus factus est, quia vere homo; ubi notanda est illa causalis, non enim fundat hanc servitutem in humilitate, vel ministerio aliquo, sed in veritate humanæ naturæ; et quia de ratione veri hominis est ut sit etiam servus Dei. Præterea idem Cyrillus, dialog. 6 de Trinit., ante medium: Nonne* (inquit) *quando factus est homo, tunc et in servi forma venisse dicitur? Proinde necessario intelligendum est, ante adventum in carne, non in servi formam fuisse Verbum, quod ex Deo apparuit, sed in denominatione naturali, et in propriis sublimitatibus, in quibus manere non magni fecit propter charitatem in nos, appellatusque est servus. Paulo autem inferius quædam verba subdit, quæ videri possunt huic sententiæ obstare, dicens: Quoniam autem secundum naturam est Deus et Dominus, permittit et offensam et ignobilitatem servitutis excellentia gloriæ victam aboleri. In quo insinuat, eam servitutem solum fuisse in apparentia et humilitate passionis, ideoque esse abolitam per gloriam resurrectionis. Sed, si quis accurate advertat, non ait Cyrillus abolitam fuisse servitutem, sed ignobilitatem et offensam servitutis, quod inferius clarius dicit, dispensationi secundum carnem ad breve tempus permisisse servitutis modum, postea vero ad claritatem naturalis dominii rediisse; hunc ergo modum servitutis prius vocavit ignobilitatem servitutis, eundemque dicit esse ablatum seu mutatum per gloriam resurrectionis; ignominia autem servitutis in*

hoc posita fuit, quod non solum servus Dei ratione assumptæ naturæ factus est, sed etiam tractari voluit ut vile mancipium, non aliter quam si ratione culpæ esset obnoxius servituti. Aliud testimonium ejusdem Cyrilli, ex Dialog. 4, expendemus inferius commodiori loco.

16. Secundum testimonium sit Athanasii, cujus apertum locum supra attulimus, ex serm. 3 contra Arianos. Sed alius est manifestior in serm. 3, fol. 4, ubi inquit: *Quatenus in confesso est eum hominem esse factum, nihil discriminis attulerit, sive servus, sive filius hominis appelletur. Omnes enim istiusmodi voculæ in ratione humanitatis bene et proprie competunt; illaque omnia non substantiam Verbi, sed hominem eum fuisse demonstrant.* In quo testimonio expendendæ sunt illæ duæ voces, *bene*, et *proprie*, quibus satis declarat Athanasius se non metaphorice esse locutum. Est aliud testimonium apud eundem Athanas., tom. 2, in epist. contra Eusebium pro Nicæna Synodo, ubi tractat locum illum Proverb. 8: *Dominus possedit me;* sed non oportet verba referre, quia sunt fere eadem cum superius adductis.

17. Tertium testimonium sit Nazianzeni, cujus verba quædam ex orat. 1 superius citavimus, quæ videri possunt non adeo urgentia, quia cum nomine *servi* alia enumerat, quæ non proprie, sed per metaphoram Christo conveniunt. Tamen, in orat. 35, quæ est 1 de Filio, et 3 de Theolog., circa finem, enumerat fere omnia prædicata quæ ratione humanitatis proprie de Filio Dei dicuntur; et inter ea ponit nomen *servi*; imo, sentit abjectiora esse illa nomina quæ humanitatis mortalitatem indicant, quam *servi* nomen: *Tu* (inquit) *michi contra, illas ingratitude tuæ voces enumera, has, videlicet, Deus meus, et Deus vester, major, creavit, fecit, sanctificavit; servum etiam (si ita lubet) et obedientem adjuuge; et infra: Adde etiam, si ita placet, quæ his abjectiora sunt, dormire, esurire, fatigari.*

18. Quartum testimonium sit Chrysostomi, serm. 7, in id ad Philippen. 2: *Formam servi accipiens*, ubi declarat, accipere formam servi non fuisse opus servi facere, sed naturam servi induere, seu assumere. Unde concludit: *Sicut in forma Dei perfectus est Deus, ita in forma servi perfectus est servus.* Idem homil. circa illa verba David: *Quis ego sum, Domine Deus?* 1 Paralipom. 17, inquit: *Quid humilior servo? tamen hoc fieri dignatus est, ut nos liberos faceret.* Chrysostomum imitati sunt

Græci expositores, Philippen. 2, Theophylact., Theodoret., et alii, qui per formam servi intelligunt substantiam servi.

19. Quinto, Theodotus Ancyranus, in homil. habita in Concil. Ephesino, et refertur in tom. 6 ejus, c. 9: *Efficatur* (inquit) *conservus, ut dominium suum olim declarat. Hinc magnus ille Paulus: Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, et cætera usque ad illud: Formam servi accipiens, quem locum optime ad rem præsentem exponit, sentiens ita sumpsisse naturam servilem, ut secundum eam factus fuerit servus. Unde et in alia homil. ejusdem quæ habetur in appendice ad eundem tomum sextum ejusdem Concilii, c. 2, interrogat, quomodo Unigenitus servus factus est, manens quod erat, et factus est quod non erat; quod late prosequitur tota illa homilia. Et Achatius, homil. in eodem Concil. recit., tom. 6, c. 11, ubi inter alia ait: *Inferne servus, superne filius.**

20. Rejicitur ad testimonium Ambrosii responsio. — Sexto, inter Latinos Ambrosius frequenter hanc sententiam docet, non obiter illam attingens, sed ex professo, l. 7, epist. 47, quemdam reprehendens, quia negabat Christum pro nobis servitutem suscepisse, eumque dicit Apollinaris errore fuisse infectum; et inferius, de Christo exponens illud Ps. 108: *Adjuva me, Domine Deus meus,* ait: *Secundum formam servi locutus, dominum appellavit, quem Patrem noverat, servitus enim carnis dominatus divinitatis est;* et lib. 5 de Fide, c. 6, sic inquit: *Non igitur præjudicat quod subjectus dicitur, cui non præjudicat quod servus legitur;* et c. 4 habet multa similia; et præfat. in Psalm. 35, de Christo exponit titulum Psalm., qui est, *In finem servo Domini Psalmus David: Nam ex utero* (inquit) *servus erivit et dominus.* Respondent, his locis asserere Ambros., Christum appellari servum, non tamen proprie ac vere esse servum; quo modo possunt eludi multa ex dictis testimoniis. Sed imprimis incredibile videtur, tot Patres, tam frequenter, et absque alia explicatione vel limitatione ita esse locutos in re ad fidem pertinente, si non esset propria et in omni rigore vera locutio. Præsertim cum non tantum pro concione, sed disputantes contra hæreticos ita loquantur; et maxime contra Arianos, qui ex Christi servitute inferebant esse creaturam, quibus Patres nunquam respondent, improprie esse servum, quod facere oportuisset, si cum divinitate personæ propria servitus in assumpta natura esse non posset. E con-

trario vero Ambrosius, primo loco citato, ad errorem Apollinaris negantis assumptæ naturæ veritatem pertinere credit, negare in Christo ut homine veram servitutem, quia esset negare veram obedientiam, veramque subjectionem, ut tetigit etiam Theophylactus, ad Philip. 2. Unde in secundo loco, tam proprie ait Ambrosius Christum esse servum sicut subjectum, alioqui non recte subjectionem ex servitute colligeret. Ac tandem in postremo loco ita fatetur Christum factum esse servum, sicut hominem, aut doloribus subditum. Et plane cæteri Patres citati eodem modo loquuntur.

21. Septimo, ex Hieronymo nonnulla in superioribus adduxi. Sed notandus imprimis maxime videtur locus ille ad Tit. 1, ubi exponens illud verbum: *Paulus servus Dei,* ait: *Hæc servitus non est illa de qua ipse Apostolus ait: Neque enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, verum nobilis servitus, de qua et David ad Deum loquitur: Ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ; et infra: Nec mirum, quamvis sanctos homines, Dei servos nobiliter appellari; cum per Isaiam Prophetam Pater loquatur ad Filium: Magnum tibi est vocari te servum meum; et cætera quæ late prosequitur.*

22. Octavo, August., epist. 178, circa finem, sic ait: *In qua infirmitate humanitatis non solum subditum, sed etiam servum evidentissime constemur, ipso dicente: Ego servus tuus, etc.; et serm. 5, alias 6 de Temp.: Secundum hanc* (inquit) *regulam* (id est, secundum communicationem idiomatum, aut secundum diversas naturas), *modo pauper, modo dives, modo aequalis, modo dominus, modo servus.*

23. Nono, Gregor., 2 Moral., c. 22, de Christo exponens illa verba: *Nunquid considerasti servum meum Job? Bene* (inquit) *servus dictus est, qui formam servi suscipere dignatus est.* Sic etiam Fulgent., de Fide ad Petr., c. 2: *Formam servi accepit, ut fieret servus.* Atque ad eundem modum loquuntur Vigilius, lib. 5 cont. Eutyech., col. 8, Petrus Diac., lib. de Incarn. et grat., c. 6; Bernard., in serm. de passio.; et Rupertus Abb., in c. 3 Zach. Multa etiam et valde notanda supra ex Hilario retulimus. Denique optima sunt verba Isidori, lib. 1 de Sum. bon., c. 16: *Christus et in forma servi servus, et in forma servi non servus; in forma quippe servi, Domini servus, et in forma servi hominum dominus.*

24. *Rationibus stabilitur secunda sententia.* — Quarto, principaliter probatur ratione hæc

sententia; nam, ut recte Damascenus dixit, attributum servi ex his est, quæ ad alterum dicuntur, et in relatione consistunt; sed in Christo ut homine invenitur sufficiens fundamentum et terminus relationis servitutis; ergo et relatio servitutis; ergo ab illa vere ac proprie dicitur servus. Probatur minor, nam relatio servitutis ad Deum, si generaliter sumatur, non habet aliud fundamentum in creatura, præter essentialem dependentiam et subordinationem quam habet ad Deum, ratione cujus et est sub potestate et dominio Dei, ut possit illa uti prout sibi placuerit, et ex se nata est obedire Deo. Unde Cyrillus Alex., lib. 4, dialog. de Trinit., col. 6: *Servile (inquit) factum est, quidquid productum est a nihilo; ita et divinus nobis clamavit David ad dominum universorum Deum: Quoniam omnia servant tibi.* Unde infert, Verbum divinum non esse creaturam, cum sit extra omnem servitatem. Et inferius, col. 8: *Quod locatur (inquit) cum creatura, nec Deus, nec Filius, nec Dominus vere esse potest, sed ut eximius inter ministros et subditos;* et inferius, agens de Verbo: *Solus (inquit) ipse liber et libertas, cum omnis creatura Deo servilem cervicem submittat;* ergo, ex sententia Cyrilli, fundamentum hujus servitutis est dependentia et subordinatio intrinseca, quam creatura habet ad Deum; terminus autem est Deus ipse, quatenus potestatem habet dominandi creaturæ, et præcipiendi illi, vel ea, suo arbitrio, utendi. Constat autem, in Christo ut homine esse dependentiam et subordinationem ad Deum, ut ad habentem supremam potestatem in ipsum; ergo est in illo fundamentum et terminus relationis servitutis.

25. *Quid ad præcedentem rationem respondeant aliqui. — Refutantur.* — Sed ad everendum hoc fundamentum, quod sane videtur efficacissimum, excogitatum est aliud fundamentum hujus relationis, quod non tantum includat illam rationem positivam a nobis declaratam, sed simul requirat conditionem illam privativam, seu negativam, communicationis in bonis. Sed qua facilitate hæc conditio inventa videtur, solum ad fugiendam vim argumenti, eadem facilitate rejicienda est et neganda talis conditio, quia neque a philosophis aut Theologis de servitute tractantibus posita est; nec Patres citati, qui de servitute Christi disseruerunt, aliquam hujus conditionis mentionem fecerunt; neque etiam ex sola rei natura colligi potest. Nam, si communicatio in bonis talis sit, quæ

non auferat subordinationem et supremam potestatem, non est cur auferat relationem servitutis. Quod declaratur primo, nam hæc relatio servitutis in aliqua positiva habitudine consistit; imo, si loqui volumus prout communiter Theologi loquuntur, relatio servitutis ad Deum ex parte creaturæ est realis, ut sentit D. Thom., 1 p., q. 12, art. 7, et ibi expositores, et alii Theologi quos ipsi citant; hæc ergo relatio, quatenus in positiva habitudine consistit, non potest in negatione fundari, sed in positiva subordinatione aut dependentia, quia negatio ut sic non fundat habitudinem positivam. Neque etiam esse potest conditio necessaria, si non sit etiam necessaria conditio ad totum id quod est positivum in fundamento et termino relationis positivæ. Nec poterit assignari aliqua relatio positiva, quæ similem negationem in fundamento requirat. Neque etiam assignari poterit ratio, ob quam negatio, quæ nihil destruit positivum in fundamento et termino positivæ relationis, possit tollere aut impedire relationem ipsam. Ut, si tanta quantitas utriusque extremi est sufficiens fundamentum et terminus positivus relationis æqualitatis, quæcunque negatio convenientiæ in alia forma, vel qualitate, vel perfectione, non poterit relationem æqualitatis impedire; aut, e contrario, si ad quantitates tantæ magnitudinis sequitur relatio inæqualitatis, etiam si in aliis formis vel perfectionibus sit summa convenientia et unitas, non impeditur prædicta inæqualitas; sic ergo in præsentī, si communicatio in bonis talis est, quæ non tollat veram dependentiam et subordinationem positivam ex parte unius extremi, et supremam potestatem ex parte alterius, non poterit illa impedire relationem servitutis. Neque negatio illius communicationis potest rationabiliter assignari ut fundamentum vel necessaria conditio ad talem relationem.

26. Responderi potest, quanquam hoc argumentum procedat de relatione illa physice considerata, quæ fortasse alia non est a relatione creaturæ, non tamen moraliter de servitute, quæ potius est moralis quam physica denominatio. Unde non pendet tantum ex physica forma vel relatione, sed etiam ex moralibus conditionibus ad talem statum et conditionem servitutis necessariis, quarum illa videtur esse potissima, quod inter dominum et servum sit quædam distantia in excellentia et honore, quæ declaratur per illam negationem communicationis in bonis. Væ

aliter dici potest, et fere in idem redit, aliud esse formam inhærere, aliud denominare; sicut philosophi dicunt, si calor remissus cum intenso frigore subjecto insit, non denominare calidum propter excellentiam formæ contrariæ; sic ergo in præsentī, quamvis in Christo ut homine reperiatur quidquid est positivum in relatione servitutis creaturæ ad Deum, nempe dependentiæ, subordinationis, etc., esse tamen quasi vestitum seu impeditum tot excellentiæ et majestatis titulis, ut absolute et simpliciter non possit Christum, etiam ut hominem, servum denominari. Sicut dicemus inferius, q. 23, relationem effectus ad causam, quæ sequitur respectu Dei ex infusione gratiæ habitualis, eandem esse physice loquendo in Christo, quæ est in cæteris hominibus, et nihilominus in Christo non habere rationem filiationis, nec denominare filium, præsertim adoptivum, quia impeditur excellentiori filiatione, et gratia unionis. Quod si dicatur nomen filii adoptivi non esse mere positivum, sed ex parte, et quasi præsuppositivum, esse privativum aut negativum, cur non idem dicitur de nomine servi?

27. Sed hæc omnia, si recte expandantur, non enervant vim fundamenti positi; ita enim responsionem retorqueo, quia, vel hæc denominatio servi physice consideranda est, ut ab aliqua reali ac physica forma sumpta; et sic argumentum factum ostendit, hujusmodi formam esse in Christo ut homine, et consequenter ab illa denominari servum. Vel moraliter consideranda est; et sic illæ tantum conditiones sunt ad illam exigendæ, quæ communi vel doctorum vel prudentum hominum arbitrio ad hujusmodi denominationem necessariæ sunt; nam morales denominationes ex communi hominum æstimatione maxime pendunt; sed illa negatio communicationis in bonis non est hactenus existimata necessaria ad hanc denominationem, ut patet ex omnibus Patribus citatis, et amplius statim declarabitur; ergo etiam secundum moralem loquendi modum est in Christo ut homine sufficiens fundamentum hujus relationis seu denominationis. Imo, si quis recte consideret, quæstio hæc, ad hos terminos et ad hoc fundamentum revocata, erit potius de nomine quam de re; omnes enim in hoc convenimus, quod Christus, in quantum homo, est non solum Deo subjectus, sed etiam ab eo pendens, et sub illius potestate constitutus. Rursus, quod humanitas Christi est Deo substantialiter unita, et per eam unionem admirabili mo-

do sanctificata, et consequenter quod Christus homo habet maximam quamdam communicationem cum Deo in bonis ejus, in honore, in sede, ac titulis majestatis et gloriæ; igitur solum videtur ad modum loquendi pertinere, an propter priores rationes dicendus sit servus, in quantum homo; vel an posteriores rationes hanc denominationem impediant. In quæstione autem de modo loquendi nemo certe errabit, si communem modum loquendi Sanctorum sequatur; illi autem ita locuti sunt, et existimabant se proprie loqui, ut ex multitudine testimoniorum, et ex circumstantiis, et modo loquendi, etiam in disputationibus contra hæreticos, et ex multis verbis eorundem Sanctorum, plusquam verisimiliter conjectare licet; ergo non potest illa loentio ex vi sermonis, neque ut falsa, neque ut impropria, rejici.

28. *Solvitur objectio.* — Dices, etiam in modo loquendi potius esse sequendam definitionem Pontificis, quam plurium Sanctorum testimonia. Respondetur hoc argumentum supponere, definitionem Pontificis esse contrariam torrenti Sanctorum, quod incredibile est; concedo ergo definitionem Pontificis omnino esse veram; et si dictis omnium Sanctorum esset contraria, illis fore præferendam; imo, etiam si Angelus de cælo ei opponeretur, etiam esset ejus testimonio definitio Pontificis præferenda, ea exaggeratione, qua Paul. dixit: *Licet nos aut Angelus de cælo,* etc; nego tamen definitionem Pontificis, aut fuisse unquam, aut fore aliquando communi sententiæ Patrum contrariam, cum communis Patrum consensus, præsertim fundatus in Scripturis ita ab eis intellectis ac declaratis, certam possit facere fidem de ea re in quam conspirant. Quis autem fuerit sensus Pontificis Adriani, dicemus solvendo argumenta.

29. *Roboratur proposita ratio.* — Urgeo tamen amplius prædictam rationem, et gratis admitto, aliquam bonorum communicationem posse relationem ac denominationem servitutis impedire. Interrogo autem quænam et quanta illa futura sit; non enim est hoc cujusque arbitrio committendum, et pro libito definiendum, sed aliqua certa regula adhibenda est, alioqui nihil firmum statui poterit de hac relatione et denominatione servitutis. Certum est enim, non quamcunque communicationem cum Deo in bonis ejus impedire veram ac propriam relationem servitutis; alioqui homines justi et beati non essent vere ac proprie servi Dei, quia cum Deo commu-